



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

IV. De Natura, Varietate & Vi Contractuum generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

ARTICULUS IV.
De Natura, Varietate
& Vi Contractuum
 generatim.

SUMMARIUM.

57. Contractus est conventio utroque habita, pariens obligationem Civilem.
58. Ex parte utriusque, vel saltem alterius contrahentis.
59. Alius est Juris Gentium, alius Civilis.
60. Alius Nominatus, alius Innominatus.
61. Alius Bonus fidei, alius stricti Juris.
62. Alius Onerosus, alius Lucrativus.
63. Perficitur Consensu, Re, Verbis vel Literis.
64. Contractus liberè initus parit obligationem.
65. Qua, etque respondens Alio transitoria est ad heredes.
66. Initus purè, in diem, sub conditione modòve aut alternatòve.
67. Purè initus obligat confestim.
68. Cum aliquo tamen temperamento temporis.
69. Statim obligat initus in diem.
70. Nisi, an hac aliquando futura, sit incertum.
71. Initus sub conditione de presenti & præterito, obligationem non differt.
72. Sub impossibili initus nullam producit.
73. Initus sub conditione de futuro, si hac necessaria, statim.
74. Si contingens sit, cum illa evenierit, obligat.
75. Quin opus sit novo consensu,

76. Vel notitià existentia conditionis.
77. Ante hujusmodi conditionis eventum consensus illicitus.
78. Aliquando tamen validus.
79. Et plerumque invalidè revocatur.
80. Modus contractui adjectus obligationem non suspendit.
81. Contractus alternativus obligat ad præstandum alterum.
82. Cujus electio transmittitur ad heredes.
83. Uno perente fere alterum aut empti estimatio præstanda est.
84. Contrahere possunt, quibus permissum est pacisci.
85. Prohibitio contractibus cum non semper irrita.
86. Irritatio Legalis semper Civilem.
87. Naturalem obligationem non tollit.
88. Nisi id sit expressum.

Contractus pactio quedam sive duorum pluriùve legitime conventio est: quam pactiōnem Ulpianus cum Labeone ait, esse *Ultero citroque obligationem*, quod Græci *συνάλλαγμα* vocant, l. *Labeo* §. *V. Contractum* ff. de *V. S.* quò loco si obligationis nomine, non Contractus finis & effectus, sive ex eo orta reciproca obligatio seu juris vinculum: sed contractuum utriusque reciprocus consensus, ex quo tanquam causa oritur obligatio seu vinculum, contrahentium utrumque vel saltem alterutrum ad aliquid dandum, faciendum aut præstandum adstringens, cum nonnullis RR. intelligatur, relata *UV. JCT.* um definitio non solum strictè dicitur sive utroque obligationem Civilem inducentibus, ut *V. cit.* expressè, Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas &c. sunt: sed etià minus strictè dicitur, sive ex altera tantum parte ejusmodi obligationem parientibus, v.g. Mutuo & Donati

tioni erit accommodata, ab eaque non diverterent RR, quibuscum Wadingus de *Contract. disp. 1. dub. § 5. 1. n. 4.* & Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8. n. 12.*

58. Contractus, inquit, est conventio ultro citroque habita pariens actionem & obligationem civilem, sive conventio legitima duorum pluriúmve, ad hoc interposita, ut ex ea ad aliquid dandum, faciendumve aut præstandum contrahentium uterque vel saltem alteruter civiliter obligetur. Quæ Contractus explicatio præ aliis placet; quòd contractum omnem comprehendat, & clarè discernat non solum à Pacto simplici sive, ut vocant, Nudo; quòd istud conventio quidem duorum pluriúmve: at non legitima sit, neque civilem obligationem & actionem producat: sed etiam à quasi contractu v.g. negotiorum gestione; quia actio & obligatio civilis, quam ista & quasi contractus alii pariunt, non oritur ex conventionione habita ultro citroque. Eadem ratio est obligationum & actionum ortarum ex delicto vel quasi; cum etiam istæ sine conventionione & consensu duorum pluriúmve, ex dispositione legis vel natura rei oriantur, §. 1. *Instit. de Oblig. ex quasi contr. & pr. Instit. de Oblig. ex delicto.*

Divisiones Contractus à DD. variæ enumerantur: ex quibus præcipuæ & hoc loco non prætermittendæ sunt quinque.

59. Prima desumitur ab Origine seu Jure, quò contractus est introductus: cujus ratione Contractus aliqui Gentium, alii Civilis Juris esse dicuntur. Juris Gentium sunt Permutatio, Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Depositum, Mutuum & cæteri pene omnes, §. *Sed jus 2. V. fin. Instit. de J. N. G. & C. & l. Ex hoc jure §. ff. de J. & J. exceptis Stipulatione, Literarum obligatione, Largitate sponfalitia seu donatione*

propter stuptias & contractu Emphyteutico: qui dicuntur esse Juris Civilis; quòd istò proditi sint, *Glossa & Interpp. in §. & l. citte.*

Secunda in Nominatum & Innominatum, *l. 1. §. fin. ff. bic.* Nominatus dicitur, qui proprium & speciale nomen in Jure habet, *l. Juris gentium 7. pr. ff. eadem Rubr.* ut Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum, Depositum, Emphyteusis, Feudum, Precarium, Mutuum, Mandatum, Pignus, Stipulatio, Acceptilatio, §. 1. *& §. fin. citte.* Innominatus est, qui proprium & speciale nomen in Jure non habet, sed venit generali nomine Permutationis: quam tamen aliqui specificè accipiunt, & ab Innominatis contractibus distinguunt. Istorum autem quatuor genera enumerantur *l. Naturales 5. pr. ff. de Prescript. verb. scilicet contractus Do ut des, qualis est, eum eorum, quæ pro altero dantur, rationem pretii neutrum vel utrumque habet, ut cum vinum datur pro frumento: Do ut facias & Facio ut des, quales sunt, cum, quod datur, non habet rationem mercedis, ut, cum alicui frumentum datur, ut agrum colat, vel ager aut vinea colitur, ut detur panis vel avena: Facio ut facias, ut, cum ager colitur, ut vehantur ligna. Ad hos sive Innominatos contractus reducuntur, quibus fortuna admiscetur, ut Ludus, Sponsio, Sors, Asscuratio: sicut & contractus Cambii & Censualis, qui tamen valde similes sunt Emptioni, Venditioni, Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 253. à num. 1. & Haunold. tract. cit. à num. 45.**

Tertia in contractum Bonæ fidei & stricti Juris. Bonæ fidei contractus sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Depositum, Commodatum, Mandatum Pignus, Societas, Cambium, Census, Permutatio, & verisimilius, prout comprehenditur
Zz 22 3

prehendit Contractus innominatos: ex quibus & negotiorum gestorum ac tutela quasi contractibus ortæ & nonnullæ aliæ bonæ Fidei actiones enumerantur §. *Actionum* 28. *Instit. de Actionibus*. Stricti Juris sunt Donatio, Mutuum, Promissio liberalis, Stipulatio, Feudum, Emphyteusis: inter quos & Bonæ fidei contractus id præcipuè discriminis intercedit; quòd in Bonæ fidei contractibus magis locus sit arbitrio iudicis; ut iste, æquitatem potius quàm conventionis rigorem spectans, ponderatis circumstantiis ex æquo & bono pro contrahentium uno contra alterum valeat pronuntiare ac decernere, quod, licet in conventionem expressum non sit, æquitas tamen postulasset, ut exprimeretur: in Stricti autem Juris contractibus rigorosè partes adstringat ad tenorem conventionis sive id, quòd expressum est, & contractus natura requirit, ut ex §. *In bonæ 30. Instit. ib.* desumunt *citt.* Haunold. *n. 54.* & Molina *disp. 259. n. 2.* qui tamen *n. 6.* hos contractus inter illud etiam esse, ait; quòd, si dolus causam det contractui, iste si Bonæ fidei, irritus ipso Jure: subsistat autem, licet rescindi valeat, si sit Stricti Juris, Qua de re agitur *Lib. 2. tit. 14. à n. 9.*

62. Quarta in Onerosum & Lucrativum: quorum illò v.g. Emptione, Venditione, Locatione, Conductione, Permutatione, onus sive aliquid dandi faciendive aut præstandi obligatio imponitur utriusque: istò v.g. Donatione, Commodatò, Precariò alter solummodo cum alterius commo gravatur, *citt.* Haunold. *n. 54.* & Pirrhing *ad Rubr. de Precario n. 2. in fine.*

63. Quintà Contractus aliqui solò Consensu, alii Re, alii Verbis & alii Literis perfici dicuntur ab Imp. §. *fin. Instit. de Obligat.* Solò Consensu, alteri quomodocunque manifestatò, ab eoque accepta-

tò perficiuntur Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Mandatum, *Instit. ibid.* & Jure solum Codicis Donatio; quòd ad horum contractuum substantiam determinatè neque verba certè istorum forma, neque scriptura, neque rei traditio, neque ipsa etiam prædicta necessaria sit; cum, consensu quomodocunque expressò celebrari etiam valeant inter absentes, §. 1. & §. *Unde inter 2. Instit. de Oblig. ex consensu.* Re, sive illius traditione constituuntur Mutuum, Commodatum, Precarium, Depositum, Pignus, Permutatio; hi enim contractus ante rei traditionem perfecti non intelliguntur; cum neque firmitatem habeant, neque obligationem Civilem ante probent. Verbis, sive contrahentium unus interrogatione & alterius congrua responsione, v.g. cum Titius Cajo dicitur: *Spondeo, perficitur Stipulatio, 1. Stipulationes 5. §. 1. ff. de V. O.* Licet autem Antiquò Stipulatio præscriptis verbis formas exigere, novò tamen Jure qualislibet verbis, utriusque contrahentium voluntatem sufficienter exprimentibus, utilis valet, §. 1. *Instit. de V. O. §. 1. Omnia re. C. de Contrab. stipul.* Literis sive scripturâ perficitur Donatio summe exigentis insinuationem apud iudicem, contractus Emphyteuticus in re Ecclesiastica, uti & hujusmodi rei Donatio, Venditio, Permutatio, *c. 1. & c. Tia 2. De his, qua à Pralat.* Quod in his Regionibus usu receptum est in aliarum rerum immobilium alienatione: & universim, quando contrahentes consensum suscipiunt, quousque super contractu confectum sit instrumentum, *citt.* Molina *disp. 254. à n. 1.* Haunold. *à n. 64.* & Pirrhing *n. 3.*

Ex contractu liberè inito oritur obligatio non solum Naturalis, sed etiam, si is no-

si is nominatus sit, aut in innominato v.g. factum, scilicet ex parte alterius traditio siue impletio intervenerit, Civilis; ut, quod eò promissum est, Actione seu conventionem judiciali proposita, peti possit, *l. Jurisgentium cit. §. 1. Liberò*, inquam. imò & *Sponse*; cum, si contractus in eatur cum impedimento tollente vel diminvente libertatem, ut sunt error, dolus, vis & metus, ex ipso nulla, vel saltem infirma Obligatio & Actio oriatur, hóc ipso; quod validè initus valeat rescindi, per tradenda hóc *Lib. tit. 40. art. 3. & Lib. 2. tit. 14. an. 4.*

65. Porro obligatio & actio ex contractu orta regulariter transmittitur ad hæredes; cum, quòd hæres in defuncti jus universum, tam quoad commoda & Actiones, quàm quoad onera & Obligaciones succedat, *l. 1. Sc. C. de Hæredit. act. l. Cum hæres 11. ff. de Divers. temp. præscript. l. Hæredem 59. §. 1. Hæreditas 62. ff. de R. J. & defunctum repræsentet, cum eoque una eadèmq; persona reputetur, Novell. 48. pr. tum verò; quòd contrahentes non sibi tantùm, sed hæredibus quoque suis consulere intendant, *l. Si Pactum 9. ff. de Probat. adeò; ut, si in contractu, ne obligatio & Actio ad hæredes transeat, non exprimatur, ad hos ipsò Jure absque expressione alia transmittatur, l. Cum hæres 23. pr. ff. de Acquir. possess. cit. Molina Tract. 1. disp. 3. n. 18. §. Secundus & Haunold. tract. 8. n. 251.**

66. An autem ea obligatio semper absoluta determinataque ipsò contractu perfectò inducatur, & ad executionem siue dandum faciendùmve aut præstandum, quod promissum est, contrahentes statim urgeat, pendet ex contractùs qualitatibus seu modo, quò initus est; iniri enim contractus variè, & quinque potissimum modis potest.

Primò Purè, hoc est, non adjectò die vel tempore, nullaque conditione aut modò appositò, & sine alternatione: quomodo celebratus contractus obligationem parit statim, postquam est perfectus; ut ex eo debitum confestim peti possit, juxta Regulam, *In obligationibus, in quibus dies non apponitur, presenti die debetur*, quæ est *14. in Pandectis l. Eum qui 41. §. 1. ff. §. 5. Omnis 2. Instit. de V. O.* ut non malè Ulpianus in Stipulationibus aliòve contractu purè inito diem non solum Cessisse, sed & venisse, asserat *l. Cedere 213. pr. ff. de V. S.*

Sed, ut hoc ita sit, non debet tamen importunus debitor protinus adire & urgere debitorem: sed ei spatium aliquod temporis concedere, ut commodè solvat; nam, ut æquitas dicat & Paulus JCTus monet, *Quòd dicimus, aliquem debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est, l. 105. ff. de Solut.* Quod tempus pro constitutæ pecuniæ, non minus decem dierum, *l. Promissor. 22. §. 1. ff. de Pecun. constit. in aliis contractibus & obligationibus judicis, debiti quantitatem & qualitatem debitoris præ oculis habentis, arbitriò majus minusve statuendum est, Gomez Tom. 2. var. cap. 11. n. 1. Zafius in l. cit. n. 15. & Bruneman, n. 4.* Si debitori non assignetur terminus, & solutio non exigatur à creditore, iste in dilationem consentire in foro Conscientiæ præsumitur, saltem si ille petere facillè possit, & à petitione metu, pudore, aliave simili causa non retrahatur, ut cum Sylvestro *V. Mora n. 1. Navarro Manual cap. 7. n. 79.* observant Medina de Restitut. q. 2. §. Ad aliud & Sanchez *Lib. 1. de Marrim. disp. 28. n. 2.*

Secundò contrahi potest in Diem, hoc est, contractus impletioni siue executioni assignandò diem vel tempus, quod certum

certum vg. Calendæ Januariæ, incertumve vg. appulsus navis ex Asia vel India, esse potest.

Si contractus executioni assignata sit dies certa vg. Calendæ Januariæ, illò quidem obligatio inducitur statim, ut res promissa confestim debita sit, ejusque debitum transeat ad hæredes: ante diei tamen adventum non urget, *pr. l. Cedere cit. ibi, Ubi in diem quis stipulatus fuerit, cessit dies, sed nondum advenit*, & §. *Omnis cit. V. Id autem*. Ratio est; quia dies apposta est in gratiam debitoris, *l. Cum tempus 17. ff. de R. J.* ut adeò creditor, si ante diei adventum petat, plus petitionis exceptione valeat repelli; cum, qui agit ante diem, agat malè: & plus petat, qui anteriori tempore petit, §. *Si quis 33. V. Tempore Instit. de Action. §. c. Unic. V. fm. de Plus petit.* Quin non solum ante, sed nec ipsò die executioni assignatò peti efficaciter potest, §. *Omnis cit. V. At ne;* eum, quòd creditor non protinus cum sacro paratus debeat venire, *l. Quod dicimus cit.* tum verò; quia actio efficax non est, antequam debitor cesset solvere: iste verò solvere cessare dici nequit, nisi totus dies præterierit; cum, antequam ista præterierit, nondum sit certum, non datum præstitumve die, in quem fuit promissum, ut in §. *cit.* notat Wesenbec. *n. 4.* & *Laiman Lib. 3. f. 5. tract. §. cap. 4. n. 1. conclus. 2.* rectè excipientes quantitatem annuam, vg. decem annua, nomine alimentorum vel eleemosynæ promissa; ejus enim solutionem in principio anni faciendam & peti posse, defumunt ex §. *At si ita 3. Instit. de V. O. §. l. 1. C. Quando leg. dies ced.* quòd tali casu dies adjecta videatur in favorem creditoris, juxta *Verficulos:*

Annua si debes, tunc inspicies caput anni.

Annò si debes, in fine temporis anni.

Si executioni designata sit dies vel tempus incertum, interest, an diem illam aliquando futuram, certum vel incertum sit; cum, si eam futuram certum, & incertum solummodo sit, quando sit futura, ut, cum centum promittuntur in diem mortis paternæ, perinde, ut si dies certa sit, obligatio statim inducatur, transièque ad hæredes: sed ante diei adventum non urgeat, *l. Hæres 79. pr. ff. de Condit. & demonstr. si verò, an incerta dies aliquando futura, incertum sit, ut cum centum promittuntur in diem eventus ad Conditionem vel appulsus navis ex India, contractus & promissio in diem resolvatur in Conditionalem, per quæque sit, ut si promittatur sub conditione eventus vel appulsus; atque idcirco obligationem & actionem ad hujusmodi eventum suspendat, *l. 1. §. 2. ff. eadem rubr. §. l. Stipulario 38. §. 1. ff. de V. O. cit. Gomez cap. 11. n. 21.* & *Laiman cap. 4. n. 2. cum ca. Molina* excipiens casum, quòd incerta dies apposta esset, gratià solus promittenti, ut si puellæ donentur vel legentur centum in diem futurarum nuptiarum; talis enim casu diem in conditionem non resolvitur, sed executioni solummodo præfixam: atque idcirco, puellâ ante nuptias decedente, centena petendi actionem ad hæredes transmitti, ajunt, *arg. l. In fidei commissi 3. §. 3. ff. de Usuru §. l. si in reliquum 43. §. 2. ff. de Legat. 2.**

Tertio contrahi potest sub Conditione de præfenti, præterito aut futuro: sub impossibili vel possibili, necessaria vel contingente.

Si contractus inearat sub conditione de præfenti, obligatio non differt vel suspendit: sed statim vel firmam, si conditio impleta jam est, vel si

vel, si impleta non est, nullam producit, *l. Conditio 100. ff. §. Conditioes 6. Instit. de V. O.*

72. Si contrahatur sub conditione impossibili, sive ista talis sit ex natura rei, ut *Si Cibimaram venatus fueris*, sive de facto, ut *Si aureum montem dederis*, sive de Jure, ut *Si peieraveris*, contractus sub ea initus vitiatur; ut obligationem & actionem non producat, *Reg. Impossibilium 145. ff. §. Reg. Nemo 6. in 6.* propter defectum consensūs, à contrahente alligati eventui conditionis; quæ, si impossibilis sit, impleri nequit, etiamsi talis de Jure tantum sit; cum id solum dicatur facere posse, quod facere possumus justè & honestè, *cap. Faciat 15. juncta Glossâ V. Quod potest 22. q. 2. citat. Gomez Tom. 1. cap. 12. n. 67. & Molina disp. 206. n. 7.* exceptâ tamen ultima voluntate & contractu matrimoniali; cum ab his ob specialem eorum favorem impossibilis conditio rejiciatur, & habeatur pro non adjecta, *§. Impossibilia 10. Instit. de Hæred. instit. §. c. fin. de Condit. appof. ut ad hanc Rubr. plenius tradetur.*

73. Si contrahatur sub conditione possibili necessariò futura, vg. *Si cras sol. orientur*, contractus sub ea initus obligationem & actionem statim producit perinde ut, si initus esset purè, vel conditio de præsentî jam impleta, *l. Impossibilia 3. in fine ff. de V. O. §. 1. Si pupillus 9. §. 1. ff. de Novat. citat. Gomez cap. 11. n. 38. & Molina n. 10.* nisi contrahens conditionem vg. *Si hoc annò Eclipsis erit*, necessariò futuram ignoraret; tali enim casu ex contrahentis mente obligatio ad Eclipsis futuræ diem suspenderetur, ut rectè observat Haunold *cit. tract. 8. n. 270.*

74. Si contractus ineatur sub conditione de futuro contingente, vg. *Si consecutus fuero dignitatem*, obligationem & actionem ad rem promissam non parit

ante conditionis eventum, sed hæc primùm secutâ, *l. Cedere cit. l. Is cui 42. pr. ff. de O. & A. §. Sub conditione 4. Instit. de V. O. Ad rem, inquam, promissam;* quia, licet ista ante conditionis purificationem ex contractu debita non sit, ex isto tamen ex parte promittentis oritur obligatio & ex parte promissarii jus expectandi eventum conditionis, & spes consequendi, quod est promissum. Secus est in ultimis voluntatibus; cum, si conditionatus hæres, legatarius, fidei commissarius ante conditionis eventum decesserit, nihil juris ad hæres transmitat, etiamsi conditio postea impleatur, *l. Unic. §. 7. C. de Caduc. toll. l. Si cum hæres 4. & arg. à contrario l. Si post 5. ff. Quando dies leg. ced.* Ratio discriminis est; quia in contractibus semper intervenit factum, scilicet acceptatio personæ creditoris seu promissarii, qui contrahendò sibi suisque hæredibus prospicere voluisse intelligitur, *l. Si Pactum 9. ff. de Probat.* Contrà in legatis, fidei commissarii & hæredis factum & acceptatio non intervenit: sed sola voluntas testatoris, qui legatario, non etiam hæredibus ipsius gratificari voluisse præsumitur: & voluntatem suam ultimam usque ad supremum vitæ exitum revocare potest, si velit, *l. Quod si 4. ff. de Adimend. legat. Covarruv. Practic. cap. 39. n. 4. citat. Gomez n. 36. & Haunold. n. 290.*

Dubium hic & magni momenti controversia est, an contractus initus sub conditione de futuro contingente, hæc impletâ purus & absolutus evadat sine novo consensu & sunt enim DD. aliqui, qui cum *Victoria Releth. de Matrim. p. 1. punct. 2.* impletâ conditione novo consensu opus esse velint, ut contractus ex eoque orta obligatio absoluta evadat.

A a a a Ratione

Ratione moventur eâ ; quod consensus conditionatus sit insufficiens & imperfectus ; ac proinde eum , ut absolutus & perfectus evadat, perfici sit necesse : conditio autem sola , cum illum non afficiat, perficere non possit, sed ad perfectionem opus sit novo actu voluntatis eum perficientis. Confirmatur hæc ratio ; quia contractus conditionalis, licet initus jam esse videatur de præfenti, in rigore tamen est de futuro, & contrahentem solum obligat ad novum consensum præstandum casu, quò conditio fuerit purificata. Sed ratio hæc exigui est momenti ; quia consensus conditionatus insufficiens est, & imperfectus dicitur, non quòd ad ejus sufficientiam & perfectionem desideretur aliquid ex parte voluntatis, sed quòd posita non sit conditio, in quam est collatus : sicut contra consensus, prælitus sub conditione de præterito & præfenti, sufficiens & perfectus dicitur propter existentiam conditionis. Unde, sicut posita conditione de præterito & præfenti, sic etiam posita conditione de futuro consensus perfectus & ad inducendam obligationem absolutam sufficiens erit ; *Cum enim, Caji JCTi sententia est, semel conditio exiit, perinde habetur ac si isto tempore, quò stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, l. Potior 11. ff. Qui pot. in pig.* aut conditio jam exiit, quia *Conditionales venditiones, & contractus alii, tunc perficiuntur, cum impleta est conditio, ex responso Ulpiani l. Hæc venditio 7. pr. ff. de Contrab. empt.* cum enim sola istius positio ad perfectionem desideretur tempore initi contractus, ista posita contractus perfectus erit & absolutus. Quare melius contractum conditionalem purum & absolutum evadere, & hujusmodi obligationem sine novo consensu inducere, utriusque Juris Interpp. & DD. plerique & satis frequenti calculo

TT. docent apud Sanchez *Lib. 5. de Matr. rim. disp. 8. n. 6.* & Wadingum *tit. dub. 6. §. 5. n. 3.*

Atque hæc resolutio procedit, quæ tumvis conditionem impletam contrahentes ignorent ; cum eo ipso, quòd conditio existat, consensus conditionatus transeat in absolutum, & contractus perficiatur ferè, sicut matrimonium nomine absentis à procuratore valide initur : etiam, ab isto illud contractum, principis mandans absens ignoret, *c. fin. de Procurat. in 6.* Ratio est ; quia jur. contractum conditionalem existentiam firmitate conditionis perfici statuentia mentionem non faciunt scientia, sed solus existentia conditionis, *l. Potior 11. ff. de venditio pr. cit.* Imò expressè statuitur, conditionis notitiam non requiri, quòd contractus initur sub conditione de præfenti, *l. Cum præfens 37. ff. de Reb. credit.* ubi Papinianus, *Si conditio, inquit, per stipulatio tenet, quamvis tenere contrahentes ignorent.* Cujus ratio ulterius est ; quia neque conditionis existentia neque voluntas se obligandi pendet à scientia, sed à sola existentia conditionis, cui contrahentium consensus est alligatus ; ac proinde ista consensui supervenientem contractus perficietur & obligationem producet absolutam : licet conditionis existentia ignoretur, *Anchoran. in c. Super eo 5. de Condit. appeta. n. 8.* Sanchez *Lib. 5. disp. 8. n. 6.* & Wadingus *dub. 6. §. 3. n. 3.* Unde

Dubium aliud nascitur, an contractus, sub conditione de futuro initus, in absolutum transeat, si à contrahentium altero consensus ante conditionis existentiam revocetur. Quia in re certum est, consensum ab uno illicitè revocari altero invito ; quia, juxta dicta, contractus conditionali promissario acquiritur spes sequendi, quod est promissum : *passive & tunc*

& huic ex parte promittentis respondens obligatio expectandi & non impediendi eventum conditionis.

78. Quodsi contra hoc promissarii jus & obligationem suam promittens consensum revocet, contractus conditionalis in absolutum transitus aliquando, non semper impeditur. Et eum quidem aliquando impedi, patet exemplo matrimonii; cum istius contractum sub conditione initum, consensu à contrahentium altero revocat, etiamsi conditio postea impleatur, in absolutum non transire, omnino sit exploratum; quod matrimonium contrahatur mutuo & moraliter simultaneo consensu utriusque contrahentis, c. *fm. de Procurat. in d.* qui consensus aperte deficit, si pendente conditione consensus ab altero sit revocatus; cum ejus defectus neque à Jure neque ab homine alio suppleri possit, ut *in c. cit. notat Francus n. 3. Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 4. pr. n. 9. & Barbosa in c. cit. n. 7.* Simili modo, si venditor rem, sub conditione venditam Titio, ante conditionis eventum vendat tradatque Cajo, posterior venditio tenet, *l. Quoties 15. C. de R. P.* idemque est, si res sub conditione Titio donata, postea revocatò consensu donetur ac tradatur Cajo, *arg. l. In traditionibus 20. C. de Pactis Bruneman in l. Quoties cit. n. 1.* ut adeò venditionis ac donationis conditionata in absolutam transitus, consensus revocatione cum secuta traditione conjuncta, impediat. Contrà, si res sub conditione vendita vel donata uni, & postea consensu revocatò sub conditione aut etiam absolute vendita vel donata, non tamen tradita sit alteri, venditio & donatio prima, superveniente conditionis existentia, ex conditionata in absolutam transit, *l. Quoties cit.* non obstante revocatione consensus ante existentiam conditionis, Jure

huic consensus revocationi resistente eamque annullante, & consensus revocati defectum supplente, quando traditio non est secuta. Simili modo, si quis sub conditione Castitatem vel ingressum Religionis voveat, adveniente conditione votum in absolutum transit, ut vovens ad Castitatem servandam vel ingressum Religionis teneatur absolute: quantumvis ante conditionis eventum consensum suum revocasset, ut cum Card. de Lugo *disp. 22. de J. & J. n. 384.* tradit Haunold. *cit. tract. 8. n. 301.*

Quartò contrahi potest sub Modo, 80. sive alicujus oneris adjectione dispositionem temperandò, *vg. Dono centum, ut pauperem alas, ut sepulchrum mihi adifices:* qui modus contractui adjectus obligationem non suspendit: creditori tamen seu promissario imponit gravamen sive obligationem aliquid præstandi, *l. 1. l. Qui rerum 2. C. de Donat. que sub modo.* Modus enim à Conditione eò distinguitur; quod ista contractus aliasve dispositiones differat; ut effectum non consequantur, quousque ipsa fuerit impleta; ille autem sive modus dispositionem & obligationem perficiat, eamque temperet oneris adjectione sive reciproca obligatione aliquid faciendi aut etiam non faciendi. Unde consecutaneum est, quod, licet donatum sub conditione peti nequeat, quousque conditio existat: peti tamen confestim valeat donatum sub modo: & vicissim, si petatur à donatario præstanda sit cautio de modo exequendo, *l. 1. cit. C. l. Quibus diebus 40. §. fm. ff. de Condit. & demonstr. cit. Gomez Tom. 1. cap. 12. n. 70. Molina disp. 208. n. 8. &* si donatarius ante modi sive oneris adjecti impletionem decesserit, hæres, qui de eo exequendo cautionem præstat, mittendus sit in possessionem, *Laiman cit. cap. 4. num. 6.*

Aa a a a 2

Quintò

81. Quintò contrahi potest Alternativè, sive sub disjunctiõne; ut contractu unam ex duabus rebus v.g. equum aut cervum, vel rem aut quantitatem certam, uni ex duobus Titio vel Cajo, vel hõc aut illò locò vel tempore præstandi obligatio inducatur. Quò modò si contractus inest, cuius, creditoris vel debitoris, electio sit, *Lib. 5. tit. 41. ad Regulam In alternativis 70. in 6. declarabitur.* Hõc locò resolvendum est

82. Dubium, an alternativè debitorum unum eligendi jus transeat ad hæredes. In re inter DD. valde controversa & ancipiti verisimilius, sive ex contractu sive ex ultima voluntate debita sint, electionem tam debitori quàm creditori competentem, eò mortuò, ad hæredes transmitti, censent Gomez *cit. cap. 11. n. 41. eumque secutus Palao Tract. 32. disp. 1. p. 9. n. 5.* in quam rem uterque allegat responsum Pauli, *l. 76. ff. de V.O. cujus pr. JCT⁹* iste ait, *Si stipulatus fuerim, illud aut illud, quod ego voluero, hæc electio personalis est; & ideo servo aut filio talis electio coheret; in hæredes tamen transit obligatio & ante electionem mortuò stipulatore.* Sed responsi istius tenor ritè ponderatus eis advertatur potius, quàm patrocinetur; cum JCT⁹ electionem differtè asserat esse personalem, & servo aut filio coherere: & in hæredes transmitti dicat solam obligationem.

Meliùs ea electionis ad hæredes transmissio fundatur in *l. Illud 19. ff. de Opt. legat.* ubi ejusdem JCTi de casu legati alternativè ita relictì, *Illud aut illud, utrum legatarius elegerit, perspicua in hanc rem sententia est, Nullò à legatario electò, decedente eò post diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit.* Quà JCTi pronuntiatione non minùs clara ratio est; quia, cum hæres succedat in univèrsum jus defuncti, *l. Hereditas 62. ff. de R. J.*

cum transitoria ad hæredem obligatione principali etiam eligendi facultas illi accessoria ad hæredem debet transmitti, *Reg. Accessorium 42. in 6.* nisi aliud ipso contractu sit expressum.

Ne autem prius Pauli responsum huic ejus sententiæ adverteretur, illud referendum est ad casum, quò quis, non sibi, sed alteri, ut filius & servus patris vel domino, tutor pupillo, procurator mandanti stipulatur; cum enim à tali stipulationem deducta electio in hæredem stipulanti, istò ante electionem mortuò non jus eligendi, sed sola obligatio transit ad eum, pro quo est stipulatus. Undè hic casu electio est penes debitorem. Secus est, cum electionem quis stipulatus est sibi; talem enim ad stipulantis hæredem transire, JCT⁹ *l. Si stipulatus est, non negat, & l. Illud cit.* affirmat, ut cum Accursio & Berchæo in *l. Si stipulatus est, pr. observat Haunold. tract. cit. n. 37.*

Dubium etiam est, an reus ex duobus alternativè debitis peremptò debeatur altera. In re satis ambigua & obscura interesse existimo, an illa alterius vel neutrius contrahentium culpa perempta sit: an, si culpa, hæc fuerit debitoris vel creditoris; cum, si perempta sit culpa creditoris seu promissarii vel obmorati ejus, cum offerretur, non recipientis, debitor liberetur; ut neque superfluum neque peremptæ æstimationem præstare teneatur, *l. Si stipulatus 105. ff. de V. O. ubi Zasius n. 1. & 3. & Gomez cit. cap. 11. n. 40.* Si verò perempta sit culpa debitoris seu promittentis, electio non periret sed maneat integra; ut creditor seu promissarius superfluum vel peremptæ æstimationem petere valeat, si forte pretiosior sit, ut cum Curacio in *l. Si debitor 95. ff. de Solut.* notat Brunerianus ibid. n. 2. Ratio utriusque est; ut sua cuius mortis aliavè culpa, non alteri sit nociva, *Reg. 10*

Reg. In condemnatione 173. §. 2. ff. & Reg. Mora 25. in 6.

res neutrius morâ aliâve culpâ perit, superflus debetur, sive ea æqualis vel minoris, sive majoris æstimationis sit, quàm precepta: neque satisfacit debitor, si creditore invitò preceptâ solvat æstimationem, *l. Stribum cit. pr.* quod ad hunc textum Berchæus *pr. & Bruneman. n. 1.* exaudiunt de casu, quò electio est debitoris; cum, si ista sit creditoris, in istius arbitrio esse videatur, an preceptâ æstimationem, vel superflitatem præstare velit, *l. Cum res legata 47. §. 3 ff. de Legat. ubi Bruneman. n. 2. & 4.*

84. Contractus celebrare possunt omnes, qui pacifici: & de re quacunque, de qua pacifici eos posse, dictum est à *n. 20 & 41.*

85. Non tamen eò ipsò; quòd pacifici & contrahere quis prohibeatur, vel non nisi certò modò Jure permittatur, contra hujusmodi Juris prohibitionem inita ab ipso pacta & contractus irriti sunt; cum enim prohibere & irritare diversa sint, & *Multa prohibeantur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, c. Ad Apostolicam 16. de Regular. ad inducendam actus nullitatem fere necessarium est; ut Legalis vel Canonica sanctio, pacifici vel contrahere prohibens, contineat clausulam seu verba, pactionem vel contractum contra prohibitionem inicum irritantia, ut Lib. 3. tit. 13. n. 64. ostenditur.*

86. Irritari etiam pacta & contractus lege vel canone duobus modis possunt. Unò quidem; ut ex illis contra prohibitionem initis non solum jus & actio non acquiratur ei, quocum pactus quis est vel contraxit: sed ulla etiam naturalis obligatio non oriatur ex parte paciscentis vel contrahentis; quòd boni publici in-

tuitu legis vel Canonis cõditor ipsius voluntatem reddiderit inefficacem, & impediverit; ne se, ut maximè vellet, obligare ullò modò posset. Alterò verò; ut ex pacto vel contractu non quidem oriatur obligatio Civilis, & qui pactus est vel contraxit, ex illis in Foro externo sive actione in judicio propositâ conveniri non possit: oriatur tamen obligatio naturalis, vi cujus in interno sive Conscientiâ Foro dare solvere aut præstare teneatur, quod promisit & solutum repetere non possit, *cit. Wading. Disp. 2. dub. 2. n. 1. Haunold. Traict. 8. n. 180. Unde*

Dubium nascitur, an pacta & contractus lege vel canone irritati valore ita destituantur, ut neque Civilem neque Naturalem obligationem producant. In re, quàm utili in praxi, tam inter DD. controversa, inhærendum censeo doctrinæ de electione, sine canonica aliqua solemnitate celebrata, traditæ *Tit. 6. n. 191.* & naturalem quidem obligationem nasci non existimo ex pactionibus & conventionibus irritis Jure Naturali vel Divinò, imò etiam humanò, munitò clausulâ seu verbis, naturalem expressè, vel generaliter omnem obligationem excludentibus: ex iis autem, quæ sola lege vel canone, hujusmodi verbis non munitis, sed simpliciter irritatæ sunt, obligationem naturalem conscientiam adstringentem oriari, cum Panormit. *in c. 1. De in integ. restit. n. 19. & in c. Quia plerique 8. de Immunit. n. 31.* verisimiliter sustinent Sylvest. *V. Alienatio n. 12. Navarrus de Alienat. rer. Eccles. n. 17. Rodriguez Tom. 1. Regular. q. 27. art. 10. Azor p. 2. Instit. Lib. 9. cap. 1. q. 8. Laiman Lib. 1. tr. 4. cap. 16. n. 9. & Pirrhing Lib. 3. tit. 13. n. 36.* Ratio est; quòd, cum ejusmodi pacta & contractus in foro animæ obligent spectatò Jure Naturali & Divi-

Aaaaa ; nõ, in

87.

nō, in dubio illos etiam post legem vel canonem, eos simpliciter irritantem, in animā foro obligare, statuendum sit extra casus, quibus naturalem etiam obligationem sublatam legis vel canonis verbis est expressum; ne à Naturali & Divino Jure recessus ultra, quàm expressum est, porrigatur, contra Regulam 6. *Cum expediat 29. de Elect. in 6. & l. Precipimus 32. C. de Appellat.*

88. Quare, licet naturalem etiam obligationem non producant pactiones Simoniacæ, contractus Uirarii & quicunque de re illicita iniri sunt, aut invitant ad delinquendum, & irriti ob defectum consensus; quòd talium nullitas descendat ex Jure Naturali & Divino: sicut & professio Religiosa, ante probationis integrum vel decimum sextum ætatis annum expletum edita, & renuntiatio bonorum à Novitio ante ultimos duos pro-

bationis menses facta: nec non à prodigo sine curatore & sine tutore à pupillo celebrati contractus, quatenus his eorum conditio non melior, sed deterior redditur; quòd ejusmodi professione & renuntiatione nullam obligationem induci, Trident. *Sess. 25. cap. 15. & l. de Regular. & disertè, naturalem etiam ex hujusmodi contractibus prodigi & pupilli non nasci, ex iisque solummodo repeti posse, expressum sit l. l. c. i. ff. de P. O. & l. Pupillus 59. ff. de O. & A. licet, inquam, ex talibus actibus ne naturalis quidem obligatio oriatur; generatim tamen, sive ex omnibus pactis & contractibus, lege vel canone etiam sine clausula, naturalem vel omnem obligationem excludente irritatis, ullam etiam naturalem obligationem non nasci, cum *citt. aliisque DD. merito negatur.**



TITVLVS XXXVI.

De Transactionibus.

Pacti generatim accepti species celeberrima, & litigantium controversias extra iudicium componendi modus cæteris usu frequentior & virtute potentior est, præfenti Rubricæ propofita Transactio.

ARTICVLVS I.

De Natura & Vi Transactionis.

SUMMARIUM.

1. Definitio Transactionis.
2. Rem dubiam & non gratuitam pactionem exigentis.
3. Ejus differentia à Sententia & Juramento:
4. A Pacto & Contractu.
5. Non valet inita à confesso juri alieni:
6. Nisi hujus scientia Transactioni fuerit pervenisset.

7. Infr.